Quaestiones Tullianae [on the De legibus. Progr., Königsberg].

ACAD. ALB. REGIM. 1884. II.

QVAESTIONES TVLLIANAE

H. IORDANI

DISSERTATIO EDITA

AD CELEBRANDAM DIEBVS 21. 23 M. MAII 23 M. IVNII MEMORIAM
VIRORVM INLVSTRIVM

COELESTINI DE KOWALEWSKI
IACOBI FRIDERICI DE RHOD
FRIDERICI DE GROEBEN
IOANNIS DITERICI DE TETTAV

REGIMONTII
PROSTAT IN AEDIBVS HARTVNGIANIS
1884

QVAESTIONES TVLLIANAE

Legum tullianarum diorthosin Karolus Halm anno 1861 ad codicum trium leidensium fidem revocavit scilicet uno ex archetypo descriptorum. in quo negotio licet non nemini visus sit non omne punctum tulisse, tamen quin operis summam recta ratione absolverit qui dubitarent proximis annis decem inventi sunt vel duo vel nemo. insecuta est editio Ioannis Vahleni: quem quidem existimasse duorum de tribus testium auctoritate posse rem paene totam peragi, vel instrumenti critici ab eo congesti ratio, in quo tertii qui Heinsiani nomine audit testimonia ad usum subsidiarium selecta comparebant, unum quemque abunde edocebat. a quo me grammatici tunc vindobonensis placito cur prorsus dissentirem et publicis scholis iuvenes rerum antiquarum studiosos identidem amplius edocebam et capitulatim, ut res postulabat, significavi libro Symbolarum criticarum ad declarandam meae legum ficticiarum editionis rationem. retractavit ille opus diorthoseos itaque retractavit, ut quae ego dixeram iniuria esse detracta apparatui tertii testis testimonia integra, ea in integrum restitueret, sed tamen ut idem passim de eis lectorem edoceret talia qualia e. c. p. 41. 63 textui subscripsit, 'interpolatorem' esse heinsiani librarium eumque 'temerario conatu voluisse' effingere vel 'libere effinxisse' siquid a ceterorum memoria diversi exhiberet. qua de re quoniam argumentis decidi homines doctos non fugit neque vero invectivis infimi generis, quo dissertandi genere ille in praefatione editionis novae uti maluit — neque vero dubitavit praeter veritatem ibi testari me irrisione et calumniis rem meam egisse — speciminis causa libri primi discrepantiam scripturae examini accurato subiciam omissis conviciis, quorum et causas procul habeo et aestimationem scio equidem inter honestos viros haud esse ambiguam.

Ac primum quidem tangam rem pusillam quidem, si criticae quaestionis pondus respexeris, verum eandem haud exigui ad latini sermonis leges cognoscendas momenti: orthographiam. qua de re quid ego sentiam Orthographicis quaestionibus — quarum priora capitula quinque Hermae Hübneri inserui, sextum programmati regimontano a. 1882. II — haud obscure opinor significavi. nempe manum de tabula tam qui lapidum testimonia contemnitis seu potius ignoratis quam qui in veriloquiis vocabulorum pensitandis ultra classicorum, quorum auctoritate inepte gloriamini, grammaticorum disciplinam sapere non didicistis. quod cum periti atque intellegentes iudices omnes calculo suo comprobaverint, ab indoctorum opinationibus defendere nihil attinet. sed inter codicum, quibus Ciceronis leges ad nos pervenere, de orthographia antiqua

testimonia unum extat, quod licet identidem ab indocta quam dixi ignoratione vindicaverim, ne nunc quidem video a berolinensi editore in ordinem esse receptum. nam coniunctionis *cum* scripturam antiquiorem quae est *quom* e codicibus compluriens receptam, eandem praepositionis *cum* scripturam, licet in vossianis duobus plus semel servata sit, prorsus a textu verborum relegatam esse video. atenim hanc formam non solum tullianae quaeque deinceps secuta est aetatis titulis atque nummis familiarem esse ostenderam (ad Sallusti historiarum fr. vatic. I 19), verum etiam in Tullii aliorumque scriptorum codicibus antiquis aliquotiens reperiri. plura testimonia addere possum vel quae olim neglexeram, veluti taurinensis codicis tullianae pro Quinctio orationis § 68, vel quae eo ex inde tempore innotuere, veluti tituli sepulcralis urbani a Stevensonio in ephemeride romana *(bullettino della commissione archeologica comunale)* a. 1878 p. 226 editi, in quo praeter alia multa, quae et cultum et sermonem popularem aetatis Tullii sapiunt, veluti illa *ossa dedi Terrae, corpus Volchano,* haec quoque leguntur *vixsi quom fide.* haec autem exempla omnia vel caeco casui vel errori deberi vix crediderim multis persuasurum esse grammaticum berolinensem. ego certe equidem illis quae attuli testimoniis constare existimo vel Tullium ipsum fuisse eius sententiae adseclam, cui parebant qui saeculo urbis septimo et praepositionem *cum* et coniunctionem *quom* eisdem litteris exarabant, vel eos qui statim post mortem eius varia instituti grammaticorum doctrina libros eius in publicum emittendi curam agebant. et variam fuisse atque discordem istam doctrinam norunt periti: cuius rei documenta ex ipsis codicibus Ciceronis conlecta propediem exhibebit is qui Orthographiae tullianae condendae in hac urbe incumbit. — pari modo idem ille editor berolinensis lapsus est in scriptura vocabuli *incohare* contra regulam effingenda. nam quam antiquo et classico aevo solam convenire Monumentum Ancyranum 4, 15 aliique optimae notae lapides — e quibus nunc satis habeo comensem adferre editum in Notitia excavationum romana a. 1880 p. 336 — ea in ipso archetypo vossianorum c. 9, 27 extitisse potest: nam quod in his *incoata* scribitur, non minus probabili ratione ad classicae formae memoriam revocandam ducit, quam ad labentis aevi illam *inchoare,* quam omnes codices in verba c. 10, 30 ascivere habentque lapides saeculi secundi et tertii exemplis haud infrequentibus. sed quid cum Monumento ancyrano titulisque eorum grammaticorum sectae, quos barbaricis saeculorum decimi undecimique scripturis nunc quoque tam Catulli atque Horatii quam Ciceronis verba turpare non uno alibi exemplo demonstravi? — haud felicior fuit ille, cum c. 4, 13, ubi recte *ais* heinsianus, *aliis* vossiani (alter 'in litura') exhibent, 'fuitne' ait '*aiis?*' abusus Quintiliani testimonio, qui *Ciceroni placuisse* '*aiio*' '*Maiiamque*' *geminata i scribere* adserit 1, 4, 11. et adserit idem Velius Longus nec rara sunt huius scripturae exempla in monumentis epigraphicis. verum quis crediderit vel tenuissimum huius scripturae vestigium in codicibus eis, unde nostri pendent, servatum esse? nequid dicam de labante totius coniecturae fundamento: nam *ais* et *alis* facillime potuisse inter se permutari quis negaverit? praeterea *aiio* placuerit Tullio, hoc est *ajo;* eidemne *aiis* — nam quod berolinensis editor posuit *aiis* nihili est — placuisse quis tandem crediderit? apage nugas: heinsiani tenemus rectam scripturam, ceteri archetypi maculam expressere. — denique quod idem grammaticus *faclem* scripturam 11, 32 p. 33 textui inseruit, quo iure novaverit, mihi certe non constat.

nolui mihi persuadere hoc quoque eum vossiani alterius, quem sane in deliciis habet, testimonio fretum periclitatum esse: neque enim fugit peritos quo loco illud habendum sit. ceteri codices quod habent *felem* cur abiecerit, non perspicio, nisi arripuerit quae Brambachius in breviusculo orthographiae enchiridio p. 38 editionis secundae de hoc vocabulo imperite docuit. is enim *faeles* et *feles* haud secus atque *caepe* et *cepe* in promiscuo haberi adnotavit, antiquis autem grammaticis illam scribendi rationem magis probari inde coniecit, quod Charisius p. 40, 2, ubi de declinatione verborum in *es* mittentium agit, inter exempla *faeles αἴλουρος* posuerit: scilicet latinum vocabulum huic videri e graeco ortum esse detracto digammo. sed haec omnia nihili sunt. nam ne unum quidem extat vocabulum latinum, in quo ea aetate, qua recte scribendi ratio ad normam grammaticae exacta tenebatur, hoc est a litterarum latinarum ortu ad Hadriani imperatoris exitum, si ab hominum imperitorum incultorumque sphalmatis recesseris, de simplici *e* et diphthongo *ae* recte scribendis haesitatum sit. id quod qui lapides contemnunt ignorare par est. pertinet hoc, ut exemplo utar — nam amplius alio tempore in hanc quoque viam deflectam — etiam ad *ceteri* vocabuli scripturam, qua de prudenter olim et caute Fleckeisenius in Articulis quinquaginta p. 13 absolverat: gaudebit autem cum e CIL 6. 10230 nunc cognoverit non *caetera* legi in laudatione Murdiae, sed *cetera* inventum in lapide redivivo. deinde errasse Brambachium de *caepe* vocabuli scripturis Symbolarum p. 114 demonstravi. denique de veriloquio *felis* vocabuli ne verbum quidem Charisium monere in aperto est, siquidem saepius ibi graeca latinis coniunxit, veluti *suboles ἐπιγονή*, *cocles μονόφθαλμος*, *obses ὅμηρος* alia, quibus generationis vocabulorum nullum inest vestigium. redit igitur res ad testimonia codicum et ad veriloquium vocabuli pensitanda. verum ab illis nullum, nisi siquid me fugerit, auxilium: nam cur magis credendum sit eorum librorum testimonio, e quibus Baiterus videtur identidem *faeles* scripturam Ciceronis libris qui sunt de natura deorum et tusculanarum disputationum inseruisse, quam Persae plautinae (v. 750 R.) optimis plinianisque, in quibus *feles* legitur, ego non exputo. redit igitur res ad veriloquium: de quo quod Pottii Corsseniique statuere, nimirum ab eadem radice et *fe-les* vocabulum descendere et *fe-mina* et *fe-lix* (et cf. quae addidit Hehnius libri de plantis bestiisque domesticis[3] p. 542), ea mihi tam aptis commendari videntur rationibus, ut nisi siquis meliora in medium protulerit, Baiteros Vahlenosque librariorum aetatis mediae erroribus sese mancipasse contendam. sed, ut ad rem redeam, is est codicis heinsiani, cuius nunc quoque sustineo patrocinium, in re orthographica a ceteris dissensus, ut antiquius scribendi genus, quod in pronominis relativi formis *quoius quoi*, in particulis *quom*, de quibus dixi, scribendis vossiani admisere, paene constanter recentiori mutaverit, in ceteris neque multo superior sit neque multo inferior his eisdem. tenemus igitur orthographiam communis archetypi cum ipsis vitiis eius aetatis qua scriptum est: veluti *nise* in eo extabat, quod procedente tempore permutatione elementorum volgari *inse* factum est (c. 8, 25).

Transeo ad aestimandam heinsiani libri auctoritatem. cum C littera insignibo, vossianos duo eisdem quibus insignivit editor berolinensis A B. eorundem librorum correctores mihi erunt a b c. ac primum quidem elenchum eorum locorum adscribam quibus solus C veram lectionem servavit. habent igitur

	C recte:	A B falso:
c. 1, 4	*tamen non nulli*	*tamen nulli* A, *tamen* B
2, 5	*diu vel*	*diu et* e corr.
2, 6	*qui litteris*	*quitris litteris* e corr.
3, 9	*concessum*	*concessus*
4, 14	*enim est*	*enim mihi est*
	quid	*quam*
6, 19	*quod si*	*quo sit*
7, 23	*deo ut iam*	*deutiam*, corr. *unde etiam*
11, 30	*possit*	*posset*
11, 31	*naturali bono*	*naturalibronae*, corr. *-alis boni*
11, 32	*nec*	*ne*
13, 36	*contineri*	*continere*
	sequare	*sequaris*
13, 37	*tite*	*titi*
	expetenda	*expectanda*
13, 38	*manser*	*mansur'* vel *-urant*
	commutatis	*communicatis* vel *-tatis*
13, 39	*facessant*	*facessat ut*
	sileat	*sileant*
	videntur	*viderentur*
14, 41	*ablaturum*	*oblaturum*
15, 42	*putabit*	*putarit*
15, 43	*non*	om.
17, 47	*hac*	*haec*
19, 50	*quid de*	*quide*
	nullum	*ullum* A, *illum* B
	notatum	*mutatum* (ex *nutatum* corr. B)
20, 54	*parvam*	*parum*
	dirimat	*derimat*
	fuit ille	*futile*
	parvam	*parum*
21, 55	*illa*	*ille*
	cum	*quod*
21, 56	*socrates*	*socratis*
22, 58	*sed*	*si*
23, 61	*idemque*	*eidemque*
24, 62	*indicandi*	*indicium*
	scientia	*de scientia*

Praeclarum hercle diascenstae ingenium, qui triciens et octiens sine exemplario archetypi vitia sustulerit; neque vero minore admiratione dignam eiusdem hominis accurationem et oculorum ad minima quaeque intentionem, qui non nisi bis terve vel in describendo archetypo peccarit vel vitia archetypi ea propagarit quae facillima opera corrigi possent: habent enim

	A B recte:	C falso:
3, 8	*illum et*	*et* om.
4, 11	*atqui*	*astqui* (quod tamen A quoque ante corr. potest habuisse)
14, 40	*agitent*	*agitant*
21, 55	*esse quod honestum*	om.
24, 63	*non*	*meni*

Relicua sunt ea discrepantiae exempla — neque enim alia ab hoc elencho abesse volui praeter ea, in quibus aut solius orthographiae causa agitur aut neutri librorum parti palma tribuenda est — ea igitur sola exempla numero septem ob quae vitiata consilio confictaque oratio heinsiani libri scriptori crimini danda esse possit videri. incipiam a levi quodam erroris

genere, cuius causam mireris potuisse ignorari. nam quod c. 16, 44 lectioni verae, quae est in AB, *quae si tanta potentia est,* in C substituitur *quodsi,* non 'temere effictum est' verum inde natum, quod enuntiatum quod praecedit a *quod si* particulis incipit: quod genus iterationis est pervagatum. paulo aliter statuendum est de locis duobus c. 14,40 et 41, quibus optime de archetyporum, alterius, unde pendent AB, alterius unde ABC, correctoribus edocemur. legebantur in communi omnium archetypo c. 14,40 pro veris *abnueret a se commissum* haec falsa *abnuritasecommissum,* quod servavit B; in A omissa una literula inde factum *abnuritsecommissum.* verum propemodum adsecutus est corrector archetypi horum librorum scribendo *abnuerit a se commissum* idque transcripserunt codicum AB librarii; at codicis C librarius satis habuit monstro illi quod erat *abnurita* substituisse vocabula *ob iniuriam,* quibus participii genus adstruere omisit, quippe prorsus alienus a refingenda sententia. vide igitur 'quam levi ab errore', ut ait ille, 'quam libere efficta sit sententia'! similiter res cessit eidem codicis C librario § 41. ibi enim in communi archetypo haec legebantur *acrestestescrubescantiam:* archetypum codicum AB qui recensuit facili medela verum adsecutus est scribendo *agrestes erubescant iam;* at in eo exemplari quo librarius codicis C utebatur, minuscula elementa *ti* a forma elementi *d* parum distabant, ut in eodem *cl* et *d* inter se simillima fuisse permutationis huius exempla ad p. 20, 5 et 62, 1 adnotata possunt docere; unde legendo *crubescandam* effecit. sed in prima parte scripturae verum non est adsecutus: correxit enim *agressi testes,* pessum data sententia. quod ut 'liberius' fecit, si correctorem archetypi codicum AB respexeris, ita plane alienus fuit a restituenda sententia. denique male legentis est, non temere corrigentis quod c. 18, 49 pro eis quae recte exhibet A *erit virtus quae,* falso B *erit virtusq;* substituit *ee virtus atque:* nam *que, quae, atque* inter se permutari sine interpolationis consilio, exemplis non eget: *esse* pro *erit* substitutum si voluit librarius mala fide intrudere, sententiam certe pessum dedit. — supersunt loci tres, quibus quod ille 'ineptum' atque 'temerarium' 'impostoris' esse opus summa cum iracundia proclamat (cf. quae adnotavit in p. 53, 8) ego partim ne esse quidem librarii eius, quem ille criminibus insectatur, verum glossatoris eius, qui archetypum libri heinsiani recensuerat, partim correctoris imbecilli esse iudico, qui eo correctore, qui AB codicum archetypum recensuit, rursus infelicius rem absolvit. atque illud quidem factum est c. 14, 39, ubi quod corrector archetypi codicum AB recuperavit *nimias edet ruinas,* potest fuisse in archetypo omnium librorum: pro his quae leguntur in C *rationes dabit ruinas* sine dubio inde nata sunt, quod in eo libro unde is descriptus est haec extabant

rationes dabit
nimias edet ruinas: quod quo consilio glossator dederit, in aperto est: scilicet *ruinas edere* quid significaret non adsequebatur, *rationes dare* dictioni quid subesset, non opus est explicatu. in eis quae praecedunt *nam si invaserit in haec quae satis scite* (*sitae* habet C, habueratque ut videtur archetypon AB: *cito* perperam inde effecerat eiusdem corrector idque repetivere a b) *nobis instructa et composita videntur* archetypon codicum AB falso dederat *viderentur,* contra codicis C librarius vitio pervagato finales participiorum converterat in genus femininum, — *te,* — *te,* id quod nil pertinet ad explicandum quam supra indicavi glossam.

— possunt esse ex parte correctoris sententiam coniectura restituentis haec c. 22, 57 quae secuntur orationis defectum. ibi in communi omnium archetypo haec legebantur
nec
te lycurgi leges c. q. s. *nec nostras duodecim tabulas nec plebiscita desidero.* servavit et coniecturam istam et lectionem primariam qui archetypon codicum AB exaravit, coniecturam in textum recepit hoc quoque loco codicis C archetypon. sed aut ab eiusdem archetypi librario aut a librario codicis C sententiae imperfectae medela adhibita est paulo efficacior haec *nostrae d. tabulae n. p. disseruntur.* idem sententiam coniectura restituendi consilium infelicem habuit eventum in his c. 19, 50, ubi commune archetypon potest habuisse quod servarunt AB *erubescunt pudet etiam loqui de pudicitia.* quanquam quibus hic locus impeditus sit difficultatibus praeter berolinensem editorem agnoverunt multi. pro his quae dedit C *erubescant impudica loqui* coniecturae infelici sane quam simillima sunt. at — ne lectorem in re admodum plana nimium quantum retineam — quid est quo temerarius hic impostor ab altero illo differt qui c. 20, 53 verba archetypi levi macula deformata audacter corrupit? ibi heinsiani librarius vera dedit haec *ain tandem, una ne est solum dissensio?* deleto quod falso in archetypo communi ante *una* repetebatur vocabulo *ne.* at qui archetypon codicum AB correxit, cum semicorruptam eius lectionem non intellegeret, coniecit scribendum quod ineptum est *tantum ne una de re est solum dissensio,* idque librarius codicis A in textum recepit, alterius exempli scriba corruptis superimposuit. consentaneum est editorem berolinensem huic correctori imposturae crimen inurere noluisse: per totum enim librum laudandae erant integritas atque innocentia codicum AB, malignitas fallaciaeque codicis C condemnandae.

Legum tullianarum diorthosis tum demum poterit ad umbilicum adduci, cum ceterorum codicum, qui nunc silentio praeteriri solent, testimonia via ac ratione erunt perquisita. nunc rem eo loco esse relinquendam aio quo Karolus Halm eam constituerat, nisi quod aliquid lucri factum est codicum trium lectionibus berolinensis editoris diligentia paulo accuratius evolgatis. quanquam nunc quoque teneo quod significavi in Herma Hübneri 16, 507, putidam istam novi editoris in effingendis arte typographi codicum naevis atque maculis diligentiam non solum apparatui qui vocatur critico oneri esse, verum etiam impedimento esse iustae lectionum aestimationi: scilicet typographus non photographi partes agit, ut qui codicem conferat ei quid librarius dederit, quid prima, quid emendatrix manus vel dederit vel dare voluerit, de viso et praeter ambages testandi officium incumbat. sed de his rebus scio in diversas partes sententias grammaticorum abire. generationem codicum trium eam esse dico, ut e communi archetypo, quod saeculo octavo antiquius fuisse nego, heinsianus liber egregia accuratione descriptus sit, nisi quod paucis locis emendatricis archetypi manus temptamina in textum recepta sunt: ex altero eiusdem apographo vossiani descripti sunt; quod apographon ut innumeris locis labem traxit, ita haud raris a correctore perito ope exemplaris melioris restitutum est. sed haec amplius persequar alio tempore: in hac temporis et infelicitate et angustia ultra terminos primi libri prodire non licuit.

Datum Regimontii m. Iulio. **H. IORDAN.**